



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Croesvs Et Codrvs. hoc est, Copiæ Et Inopiæ Damna vel
Lvcra, à bono iustoq[ue] Mundi Governatore Deo
Distribvta**

Stengel, Georg

Ingolstadij, 1648

§. 5. Deus suo tempore & pauperibus, & pauperum patronis succurrit.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-52359](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-52359)

§. V.

Deus suo tempore & pauperibus, & pauperum patronis succurrit.

Iob. 29. 11. Sextò dicebat olim Iob: *Auris audiens beatificabat me, & oculus videns testimonium reddebat mihi. Eò quòd liberassem pauperem vociferantem, & pupillum, cui non esset adiutor.* Quantò magis Deus est beatificandus, cui testimonium reddunt tot millia pauperum vociferantium, se ab illo liberatos? Audit autem etiam non vociferantes: nam & silentium clamat miserorum. Abdias dispensator Achabi regis Israëlitarum, cum centum prophetas in spelunca absconditos pane & aqua sustentasset, vt Iosephus refert, magnum æs alienum contraxit. Eo mortuo creditor quos natos eius in seruitutem rapere volebat, cum vidua non esset soluendo. Illa Elisæum prophetam adiit, opem eius implorauit. Cui ille præcepit, vt ex olei ampulla, quæ domi vnica superat, vasa à vicinis mutuo accepta impleret: diuinitus enim oleum non defecturum, donec omnia implerentur. Paruit illa, & iussu Elisæi postea vasa illa vendidit, & debitum dissoluit. In qua historia Prophetæ non vociferantes à Deo auditi, & vel in spelunca latentes

conspic-

Ioseph.
lib. 9. c. 3.
Antiquit.
4. Reg. 4.

conspēcti, atque per Abdiam nutriti sunt. Cui eam liberalitatem non esse damnosam passus est diuinus Remunerator, sed in vidua, ac liberis, per Elisēum prodigiosissimo olei augmento, gratiam pro gratia reposuit. Animalia ratione carentia, in extremo periculo constituta, cū aliud non habent, quo se protegant, clamorem habent, miseriamque suam testantur vociferando: ita & homines extrema afflictione compelluntur ad Deum clamare. Nec in ventos abijt clamor: *Clamor filiorum Israël venit ad* Exod. 32
me ait. quia pauperum oppressio est peccatum in cælum clamans, etiam ipso oppresso silente. Quia ipsa calamitas clamat, tacente calamitoso.

§. VI.

Recens, & luculentum diuinae prouidentiae & cura erga pauperes exemplum.

Septimò non audit tantū, sed etiam exaudit pauperes, verus Pater pauperum, Deus, qui *saluum faciet egenum à gladio oris* Job 5. 18
eorum, & de manu violenti pauperem. Quàm hoc verum sit, ostendit mirabilis prouidentia diuina, in historia, quam nobilis quidam Germanus, Anno Christi 1627. Româ huc, ad nos, in hunc fere modum perscripsit,

X

scripsit,